Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 171
Quelle:
Copyright:

um, atque cum his etiam *Eliphaz*, *Heliuth* &c. amicos *Jobi* citatos in margine, quos in textu *Viros sapientes* adpellat. Atque, ut tractationis ejus specimen dem, en initium. *De Deo. In scriptura sacra Deus aliquando nuncupatiue aliquando uero essentialiter dicitur. Nuncupatiue enim ponitur. sicut ad moysen dicitur. Ecce constitui te Deum pharaonis. Et sicut idem moyses ait. Si quis hoc uel illud fecerit applica illum ad deos. uidelicet ad sacerdotes. Qui rursum dicit. Diis non detrahes. id est sacerdotibus. Et sicut psalmista ait. Deus stetit in synagoga deorum. in medio autem deos discernit. Essentialiter autem deus dicitur. sicut ipse ad moysen dicit. Ego sum deus patris tui* &c. Abrumpitur vero in Articulo de usu biblico vocis *Soror* his verbis: *quia iugo seruitutis egressa archanorum meorum facta es conscia* — —.

CXIII.

R. 555 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 117. 4. currente calamo exaratus et minio distinctus *Glossarium* est, sive Expositio omnium Vocum difficiliorum S. *Scripturae* simul et *Prologorum Hieronymi*, ad quam hic ingressus: *De singulis libris bybliothece aliquas dictiones proferre libet in medium, ut quandoque de accentu diiudicemus, quandoque de significatione. De propriis autem nominibus raro mentionem faciemus, quia ipsa certam doctrinam fugiunt.* Adde: et quia eorum interpretatio paene omnibus Codicibus biblicis adscripta reperiebatur. Specimen Glossatoris habe: *Prologus super genesin.* Prologus *prefatio quasi prelocutio.* Prohemium *initium dicendi.* Presagium *prescientia.* Presagus *prescius.* Pentha *quinque* theucos *volumen. Inde* penthateucus *quasi quinque librorum volumen* &c. Singulis fere Libris decursis additur *Epilogus* instar Spicilegii, unde conjicio, duorum Glossatorum labores hic conjunctos fuisse, quorum tamen neuter alteri doctrinam invideat. Post L. I. *Machab.* recensetur *fol.* 51. *Psalterium* praevia hac Rubrica: *Incipit translatio psalterij secundum beatum yeronimum raris uocabulis interpositum modicum discrepans a nostra translatione que vulgaris dicitur. Omnium enim librorum translationem sancti ieronimi recipimus nisi hanc. tum quia modicum differunt. tum propter quasdam inconuenientias consensus. ut ibi: Tecum principium. et ibi: Supra dorsum meum.* Priore namque loco *Ps.* CIX. *Hieronymi* Versio habet: *Populi tui spontanei*, altero *Ps.* CXXVIII. *Super cervicem meam arabant* &c. utrumque propius ad Textum hebr. Quod ordinem Librorum ceterorum adtinet, *Jacobi Epistola* post *Apocalysin* trajecta est, et illam Liber II. *Machab.* cum nova Glossa Prologi *Hieronym. Frater Ambrosius* &c. sequitur. His adjungitur *bonum Notabile in libros prophetarum et in libros regum et postea sequitur linea uel registrum pro-*